

bus ascendisti ad eam sublimitatem authorita-
tis & gloriæ, quibus ad eam pervenere dignissi-
ma illa, & toto terrarum orbe notissima capita
Francisci Salesij, Caroli Borromei, & eorum res
gestas, quas in libris scriptas legimus, & miramur,
expressas in te longe fideliùs conspicimus, &
amamus, eximiæ illorum virtutes, vitæ tuæ regu-
la sunt, & vivunt in te etiam post mortem ma-
xima illa nomina. Exempla tua totius gregis tui
disciplina sunt, vident te quotidie subditi tui in
Ecclesia divini officij pensum persolventem, ea
pietatis significatione, quæ Angelos etiam è cœ-
lo devocare possit, omnibus ades exemplo, sub-
sidio, solatio, redditus tuus ærarium pauperum est:
effecit sedulitas benignitatis tuæ, vt miseris pla-
cere possint etiam calamitates suæ: divini Verbi
pabulum administras, & audiris cum summa vo-
luptate omnium in sacris pulpitis, Etiam vbi ad-
esse ipse non potes, omnibus prodes. Habes ad
manum quos vbique substituas zelo tuo, discur-
runt per civitates, oppida, vicos, domos doctissi-
mi, juxta & sanctissimi emissarij, neque magis
solis lucem vident subditi omnes tui quam cœ-
leste hauriunt lumen, quo in cœlum eant, ama-
ris ab omnibus sicut omnes amas, honoraris
vt Pastor, coleris vt pater, diligenteris vt amicus,
fruere hac gloria PRÆSVL ILLVSTRISSIME, vt in
corde habites omnium quibus imperas, me
sane tot iam beneficiis tibi pridem obstrictum

nouo